

dilutæ aqua atque pinguedine, (ex. gr. *Aconitum Lycocotonum*, *Astragalus alpinus*, *Galeopsis versicolor*, *Viola tricolor*); quædam nimio acido prægnantes (variationes violaceæ), nonnullæ etiam acedo suo privatæ (*Epilobium angustifol.* fl. alb. *Geranium flor.* albo. *Campanul. latifol.*? fl. albo, *Vaccin. Vit. idaea* bacc. alb.) discolores factæ sunt.

§. 35.

Lux ratione diurnitatis vel perseverantiae, qua intra circulum polarem magis, quam alibi, diurna, majores reddit flores nec non coloratores. Hinc omnis flos in septentrione grandior factus, ob lumen solare perpetuum. Cujus rei exempla supra sunt allata.

Eandem ob causam flores in septentrione saturatius colorati sunt; quæ res sæpe novarum specierum præbuit ansam. Ex gr. *Potentilla aurea*, Horn.; *Ranunculus sulphureus* Phips.; *Viola montana*, Lin. n.). *Statice Armeria* var. *alpi-*

---

n) Respectu floris amplioris, qui tam saturate coloratus est in Lapponia, ut nil tale in *V. canina*, multo minus in lactifloris conspicere licuerit. Hæc amplitudo corollæ, nec non color in *V. montana*, cum multis aliis communis est, Lapponiæ floribus, adeoque in characteribus speciei nullius fere momenti. Cetera de *Viola* hacce *montana* vide infra.